Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26136
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Siquidem ysaias iste est qui alio in loco sic loquitur. Vidimus eum, et non erat illi species
neque decor, et estimavimus eum tamquam leprosum et cetera. Ubi illud primum considerandum [margin: Nota de duplici visione Christi]
est, quod communis illa hec prophetice visionis prerogativa propria videatur. Non
sine causa sane ibi vidimus scriptum est, et hic vidi, non ut illam quidem in-
telligas esse communem, hanc vero excellentie singularis. Siquidem absque specie
et decore vidit eum et sprevit herodes. viderunt ipsi quoque iudei, qui et diminu-
meraverunt omnia ossa eius. Iam vero super hac visione beata manifeste
prophetia denuntians ait. Tollatur impius ne videat gloriam dei. Multipharie
ergo multisque modis non solum locutus in prophetis, sed et visus est a prophetis. Agnovit eum
david minoratum ab angelis, iheremias etiam vidit in terris cum hominibus conver-
santem. ysaias modo super solium excelsum. modo non solum infra angelos, aut inter
homines, sed tamquam leprosum se vidisse testatur, id est non in carne tantum, sed
et in similitudine carnis peccati. Tu quoque si desideras videre sublimem,
humilem prius ihesum vide curato. Intuere prius exaltatum in deserto serpen-
tem, si videre desideras regem in solio residentem. Ipsa te humiliet visio,
ut illa exaltet humiliatum. Reprimat et sanet ista tumorem tuum, ut
illa repleat, et satiet desiderium tuum. Ex inanitum vides, non sit ociosa
visio, quia exaltatum ociose videre non poteris. Similis eris illi cum videris [margin: Nota bene]
eum sicuti est. esto et nunc similis ei videns eum sicuti propter te factus est.
Si enim ne in humilitate quidem similitudinem eius abnuis, certa tibi subli-
mitatis quoque similitudo debetur. Numquam ille socium tribulationis, a commu-
nione patietur arceri. Denique usque adeo non dedignatur, passionis sue [margin: Nota]
consortem, et in regnum admittere secum, ut in cruce confitens latro eadem
die cum eo fuerit in paradyso. Hinc est quod ait et ad apostolos. Vos estis qui per-
mansistis mecum in tribulationibus meis, et ego dispono vobis regnum. Ita ergo si compatimur et conregnabimus. [margin: Nota]
Sit interim meditatio nostra fratres Christus et hic crucifixus. Ipsum ponamus signacu-
lum super cor, signaculum super brachium nostrum. Ipsum amplectamur brachiis
quibusdam vicarie dilectionis. ipsum sequamur studio pie conversationis. Hoc est
enim iter quo ostendatur et nobis idem ipse qui est salutare dei. sane non iam sine
specie neque decore, sed in claritate tanta, ut maiestas eius repleat orbem terrarum.
Oportune siquidem visione prima tamquam hyemali adhuc in tempore, non [margin: Nota]
super solium, sed in inferiori atque humiliori habitatione videtur. Dupli-
cem quippe solet habere magna domus quelibet mansionem estivam. superi-